AD QVODLIBETARIAM QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS AGITANDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS DECIMA QVARTA IANVARII.

MAGISTRO PETRO LE COMTE DOCTORE MEDICO PRÆSIDE.

An faciei nitor ex intus assumptis?

MVNDVS Imago Dei: vtriusque homo; Intus Dei, extra mundi. Mundus naturâ suâ æternus, & immutabilis vtraque parte; cœlesti, & terrenâ. In illa, vbique aëre perfusâ, mouĕtur astra, singula singulis motibus. Terra, in medio sita, viuit: & ad rerũ vicissitudines necessariò cõuertitur motu diurno, ab occasu in ortum. Homo naturâ, & Dei dono incorruptibilis, adiutus influentijs siderum, ad sanitatem, etiam scrupulosissimè, per motuum computum indagandis, generat hominem, speciosus speciosum, morbidus morbidum. Eius forma non a sola crasi, sed & à lumine intellectus venustior: omnibus æqua: tota in toto, & vbiuis corporis: sedet tamen in Cerebro: fulget in facie.

HÆC propria cute perforatur septem ostiolis, quibus ad animam perpetuus aditus, reditus. Ibi sensus omnes externi. Visus cæteris præstantior obiecto, lumine: actione instantanea: organo oculo, qui non in solo homine diuersicolor: licet igneus, patiendo fit visio. ex oculis & ore trigonus Isopleurus. Auditus fine præstantior, non auribus, licet cum oculis in eodem plano sitis. Succedit odoratus dignitate tertius. Quartò gustus. Vltimò tactus. Facies macilenta, hebetes: pinguis, pigros: exigua, pusillanimes: magna, lentulos. mediocris, liberales indicat. extremus in facie color timidos: medius animosos. curta frons imperitos, magna stolidos, quadrata generosos. oculus magnus tardos, exiguus vafros. nasus ab initio aduncus, insolentes: à medio, magnanimos.

IN facie pulchritudo, diuina qualitas, ex vario concentu humorum & membrorum. Huc ab intimis triplicis animæ recessibus, ceu in veritatis thronum, thesaurus elegantiæ, & furoris incendia deducuntur: cogitata è cerebro: ira & lætitia è corde: amores è iecore. Ibi pathemata, ibi pax, ibi bellum, ibi induciæ, ibi horrenda morborum stigmata, ibi vita, ibi mors, Æsculapij speculum, Artis medicæ Mercurius, tutissimum prognoseos fundamentum. In vstulato, in Æthiope, in agresti difficile iudicium. Qualis humor intus, talis color in facie; à redundante bile auriginosus: ab atra fuscus & liuidus: à pituita pallidus. solus sanguis venustatis princeps, charitum progenitor, & cupidinum alumnus.

TEMPERATIS humoribus, cœlestis fulgor in facie: soluto concentu soluuntur sanitas & pulchritudo. Hinc morbi in viris, à capite: in mulieribus, ab vtero. In substantia cerebri phrenitis, mania, melancholia, lethargus: in ventriculis vertigo, incubus, apoplexia, epilepsia, paralysis, catharrus: in membranis cephalalgia, cephalea, hemicrania. ex quibus, in alijs corporis partibus, pulchritudinis hostes. Ab vtero, retentis menstruis deformantur mulieres, hirsuta cute, & barbata facie: fluentibus nimium fœdantur, & in modum cadaueris pallescunt. vbi fluor albus, ibi macies & decoloratio: vbi putre semen, ibi viduarum & virginum mœrores & furores. Qualis vterus tale totum corpus. Ex his oriuntur viscerum impuritas, & obstructio. quibus si accesserint iræ, luctus; zelotypiæ, curæ, omnem venustatis florem expungunt.

EX his sumenda Confirmandæ, & læsæ restaurandæ venustatis methodus, eadem & tenendæ & obtinendæ valetudinis. Plastica & emplastica empiricorum adulterina. Natiua dogmatici industriâ perpetuò indiga. Artificij caput Diæta, ex non naturalibus sex; pathematis: motu, quiete: somno, vigilia: aëre: cibo, potu: excretis, retentis. Humorum ametria in quantitate, euacuantibus: in qualitate, tum his, tum alterantibus emendanda. euacuantibus præparantia, ni materia turgeat, prǫmittenda. Capitis in viris: vteri in mulieribus prǫcipua est habẽda cura. Nec ad sanitatem tantùm, sed ad pulchritudinem longè pluribus medicamentis opus esse asserimus, quam Pharmacopæi reponant. ex quibus, pro ratione morbi, personæ, loci, temporis, & splendoris artis, probus habeat Medicus quod, adhibito summo iudicio, & animi candore, præscribat.

Ergo faciei nitor ex intus assumptis.



Asserebat BARTHOLOMEVS BARALIS Valernogapensis. Anño 1616. Parisijs.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ioannes Pietre.
M. Ioannes Cousin.
M. Hieronymus Goulu Prof. Reg.
M. Syphorianus Haultin.
M. Henricus Blacuod.
M. Gabriel Biart.
M. Robertus le Secq.
M. Simon le Telier Med. Reg.
M. Richardus Marcetz.